

CONCILIVM PROVIN. COLONIEN.

Tob. 6. 7. 8

tandam. Monendi sunt qui matrimonium contra here affectant, ne alius affectus ipsos huc rapiat, vt sit honorabile coniugium ac cubile impollutum. Nam si neque ob prolem suscitandam, neque ob fornicationem vitandam, sed potius diuitiarum aut opum nanciscendarum, aut alterius rei gratia matrimonium contrahatur, perperam agitur ac grauiter in sacramentum peccatur. Hic, quæ Tobia: vi. vii. & viii. scribuntur, enarrari, proponi, ac doceri conueniet. Vbi locus pulcherrimus est, exemplo commonstrans. Quemadmodum bona vxor donum dei sit debitum timenti dominum, quomodo in timore dei apparētibus, non luxuriæ causa, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen dei in secula petenda. Quo pacto coniugij cōscriptioe facta, tradenda, Quemadmodum etiam conuiuium nuptiale cum laude & benedictione dei agendum. Denique quomodo precandus sit deus per coniuges, vt benedictionem suam in ipsos, quos coniunxit, impleat. Hæc enim decent sanctorum filios, qui non debent ita coniungi sicut gentes quæ ignorant deum, Eritq; horrendum illud exemplum de septem Sara: viris a dæmonio occisis replicandum. His nanque (vt Raphael angelus apud Tobiam ait) qui coniugium ita suscipiunt, vt deum a se & sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, dæmonium malum dominatur. Quamobrem vehementer comprobamus illum morem, quo matrimonio iungendi ante ecclesiasticam coniunctionem, ieiunio se præparant & sacram eucharistiam sumunt.

Matrimonium tria completi. Cap. XLII.

Aug. de Genesi ad Iosam li. 9. c. 7. 10. 3

**D**Ocendi itaque breuiter, matrimonium tria completi, fidem, prolem, & sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale, cum altera vel altero concumbatur. In prole, vt amāter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur. In sacramento autem, ne coniugium separetur, neve dimissus aut dimissa etiam prolis causa alteri coniungatur.

Pium votum & in clandestine contrahentes censura.

Cap. XLIII.

Ex canoni. Euaristi.

**O**Prandum, vt canon Euaristi pontificis Concilio generali renouetur, tollanturq; illa clandestina matrimonia, quæ inuitis parentibus ac propinquis, Veneris potius quam dei causa contrahuntur. Nam quanta ex his clādestinis matrimonijs mala suboriant, in aperto est. Interea vero donec ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint, & pœnæ canonicæ, hoc est, excommunicationi, contrahentes, & qui his ope aut consilio adfuerint, subiaceant, quam nec tam facile, nisi ecclesiæ satisfiat, tolli admodum expedire nobis videtur. Quantum fieri potest, cauebit parochus, ne liberis citra parentum auctoritatem coniungat. Quod si parentes negligentes fuerint,